

Christo; et exinde exiit sanguis, et aqua (IOANN. XIX), et tunc beata Mater Dei fuit transfixa, et novus dolor ex illa apertura iterum penetravit cor et animam Matris gloriosae atritam gladio; et sic Mater Domini, Ioannes, et Magdalena cum his, qui secum erant, inaeperunt voces quasrulas, et novos placent facere.

## SABBATO SANCTO

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.  
*Matth. XXV III, 1-7.*

VESPERE autem sabbati, quae lucebat in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.

2. Et ecce terrae motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de caelo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum:

3. erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix.

4. Prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt veluti mortui.

5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis:

6. non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus.

7. Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit: et ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis.

## Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH. CAP. XXV III.

3070 **V**ESPERE autem Sabbati quae lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Quod diversa tempora istarum mulierum in Evangelii describuntur, non mendacii signum est, ut impii obiciunt, sed sedulae visitationis officium, dum crebro abeunt ac recurrunt, et non patiuntur a sepulcro Domini diu abesse vel longius.

3071 **E**t ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de caelo, et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix. Dominus noster unus atque idem Filius Dei et Filius hominis, iuxta utramque naturam, divinitatis et carnis, nunc magnitudinis suae, nunc humilitatis si-

gna demonstrat. Unde et in praesenti loco, quamquam homo sit qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus tumulo, quem lapis oppositus cohibet, tamen quae foris aguntur, ostendunt Filium Dei, sol fugiens, tenebrae ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa disrupta, mortui suscitati, angelorum ministeria, quae ab initio nativitatis eius Deum probabant. Ad Mariam Gabriel venit, cum Ioseph angelus loquitur (Luc. I, 26; MATTH. I, 20), idem pastoribus nuntiatur, angelorum postea auditur chorus dicentium: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. II, 10, 14). Tentatur in solitudine, et post victoriam statim servituti angeli (MATTH. IV, 11). Nunc quoque angelus venit custos sepulcri Dominici, et in vestitu candido signat gloriam triumphantis. Necnon ascendente ad coelos Domino, duo angeli in Oliveti monte cernuntur, pollicentes apostolis secundum Salvatoris adventum (ACT. I, 11).

3072 **Prae timore autem eius, exterriti sunt custodes, et facti sunt veluti mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quaeritis: Non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Custodes, timore perterriti instar mortuorum stupefacti iacent, et tamen angelus non illos, sed mulieres consolatur. Nolite timere vos. Illi, inquit, timeant: in his perseveret pavor, in quibus permanet incredulitas. Ceterum vos quia Iesum quaeritis crucifixum, audite quod resurrexerit et promissa perfeceat.**

3073 **Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis eius. Ut si meis verbis non creditis, vaeuo credatis sepulcro, et gradu concito pergit ad nuntiate discipulis eius: Quia surrexit, et ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis. Hoc**

est in volutabrum gentium, ubi ante error erat et lubricum, et firmo ac stabili pede vestigium non ponebat.

## Varia de Sepultura Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSI, VOL. III, SERM. 43.)

3074 **I**OSEPH ab Arimathaea tulit corpus Iesu (IOANN. XIX). Postquam omnia quae audistis peracta de Iesu Salvatoris morte, turba inde recessit, dimisso Christo in cruce affixo, relicta Virgine gloriosa at tunc dolorosa, cum Ioanne, Magdalena, et paucis aliis secum.

3075 Considera, anima devota, quantos qualesve clamores, et quaerelas, anxietates, lacrymas et dolores ibi faceret B. Virgo, et Magdalena cum aliis, etc. Et inde Mater Dei aspiciens Filium benedictum quaerula voce clamabat: Filii, qualiter potero te evellere de illa cruce, ut possem te tantillum tangere, Fili mi, etc. Aspiciens vidit venientes Ioseph et Nicodemum, et illico renovando, et mittendo lacrymas, et dolores asperissimos ad invicem deposuerunt ipsum de cruce adorando prius ipsum tanquam Filium Dei vivi, et deponendo ipsum.

3076 Erant tres scalae ad evellendos illos ingentes clavos, duae scalae erant retro ab utroque latere, et una a pedibus, et Ioseph ascendit ad unam scalam et evulsit clavum unius manus, et illum dat secreto Ioanni, ne Virgo illum videret, quia beata Virgo contemplabatur aspiciendo eius beatam faciem totam discoloratam, et manum Christi pendente quae latus eius tangebatur, deinde evulsit secundum clavum alterius manus, et similiter ipsum porrexit discipulo, et corpus Christi brachiis Ioannis apostoli, qui erat de subitus, et ascendens scalam pedibus positam extraxit illum clavum, et tunc ipsum deposuerunt.

3077 Beatissima eius Mater coepit eum, osculando eius caput, vultum, manus, et omnes plagas, dicendo cum duris lacrymis, et lamentationibus inspicendo oculos eius: Quis vos privavit lumine, qui mundum totum illuminastis, iuxta illud: *Ego sum lux mundi?* Similiter dicebat: O sacratissimum os, quod alios docuisti, quomodo es privatum eloquio tuorum sacrorum dogmatum? O manus sempiterni regis quae omnia plasmasisti, quare permisistis creaturas ita sevirere in suum Creatorem? O caput coronatum corona gloriae, qualiter permisisti tam crudeliter istis pungentibus spinis coronari usque ad cerebrum penetrantibus? Et sic de membro ad singulum membrum discurrendo, et flendo conquirebatur

simpliciter postulando, ut Deus eam ab hac vita in meliorem transferret, ut esset cum Christo Iesu Filio suo, ex quo secum vivere non poterat, etc.

3078 **E**t Maria Magdalena prostravit se pedibus Domini, ipsos osculando, et suis solitis lacrymis balineando et clamando, dicens: O sanctissimi pedes mei Dei et Domini, qui me purgavistis, et mundavistis ab omni peccato, vos docuistis me quo pacto debeam aufergere et exire de manibus diaboli; et sic discurrendo cum multis lamentationibus, et plangentibus super quibus membris corporis Christi faciebat unum placentum pariter cum Ioanne, et aliis ibi adstantibus, et sic contemplando passionem Domini supervenit hora serotina.

3079 Bonum est amodo, ut sepeliamus cum, et Ioseph, et Nicodemus dixerunt Matri Dei: quid volumus facere? hora est vespertina, ne recludamur extra civitatem. Et volebant cum sepelire, ut Virgo Maria posset requiescere, quia illa nocte praecedente nunquam quieverat usque in illam noctem, nec illa die comederat, neque biberat, ita quod erat ita defessa et tabescens, ut vix posset stare; et portaverunt ipsum ad sepulcrum. Tenebat semper Virgo Maria ipsius caput, et Magdalena pedes; et tandem vix posuerunt cum in sepulcro, quod Virgo volebat sepeliri cum eo. Et deposito corpore Christi in sepulcro revolverunt lapidem ad ostium monumenti. Tunc Virgo anxia se volvit ad lapidem, dicens: O lapis, qui tenes mecum unigenitum Filium, utinam me cum eo pariter retineres; sed ex quo me tibi rapiunt isti Ioseph, et Nicodemus, amplectens lapidem illum, inquit: Tu, anima mea, remaneas hic; et tu, intelligentia mea, remaneas hic; et omnis memoria mea, non hinc recedat; sed omnes sensus corporis, et animae meae remaneant cum sociis hic in sepulcro; et solus dolor, gemitus, lacrymarum fons, et anxietas concomitentur corpus meum.

3080 **E**t inde iuxta eandem recedentes multi dicebant versus Virginem gloriosam: Quanta iniquitas, et iniustitia est hodie tibi facta contra sanctissimum tuum Filium, qui tot et tanta miracula fecit, qui tam bonam doctrinam praedicabat, qui mortuos resuscitavit, qui surdos audire fecit, qui caecos illuminavit, etc.

3081 **E**t Nicodemus et Ioseph volebant ipsam ducere ad domum suam et cum grandissimis placentibus recedens ab eis, deliberavit ire, et ivit cum Ioanne et Maria Magdalena ad montem Sion semper incessu gemebundo et velata sicut vidua, et dum applicuissent in montem Sion, intravit domum, et incoepit alta voce dicere: O mi Ioannes, ubi est tuus Magister? et dulciter atque pie commemorabat omnes alios discipulos, dicendo: Fili mi, hic heri de sero coenasti cum discipulis



tuis; novam institutionem tui sacratissimi Corporis docendo, donasti, et te illis commendandum dedisti. O popule nequam, hoc est meritum quod dedisti meo dulcissimo Filio de praedicationibus, et doctrinis tibi datis et de maximis miraculis per cum tibi ostensis, et tu popule, tam crudelibus tormentis ipsum crucifixisti. O Maria Magdalena, ubi est tuus dilectissimus Magister, qui te a tuis peccatis voluit liberare? O tu Petre, qui eras ita fervidus ad amandum Filium meum, et ad verba unius vilissimae ancillae, te movisti ab eo, ipsum tam viriliter abnegando. O Ioannes, fili mi, ubi est tuus Magister, qui te tantum amabat? Ioannes et Magdalena cum totis conatibus suis hortabantur et quaerebant consolari eam; et ipsa Mater Dei habens fidem et plenam certitudinem de resurrectione sui sanctissimi Filii coepit aequaliter vivere laudando, et benedicendo Deum dicens: O humana natura, pro qua meus praedilectissimus Filius recepit mortem per redemptionem tua, contemplare hanc sanctissimam passionem quam Filius meus sustinuit pro tuo peccato, et sic faciendo non incurres peccatum, et pervenies ad eius gloriam! Ad quam ipse Dei Filius nos reducere dignetur, qui est vita, spes et resurrectio, et pepercit latroni. Amen.

Varia ex S. Bonaventura.

DE SEPTEM GRADIBUS, QUIBUS PERVENITUR AD SPLENDOREM VERITATIS.

(Ex opus. "Incediam amoris").

3082 **G**RADUS perveniendi ad splendorem veritatis, ad quem pervenitur per imitationem Christi, sunt hi septem, scilicet, assensus rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus devotionis, amicus assimilationis, amplexus crucis, intuitus veritatis; in quibus hoc ordine progrediendum est.

3083 Primo considera, quis est qui patitur, et eidem subdere per rationis assensum, ut credas firmissime, Christum veraciter esse Dei Filium, omnium rerum Principium, Salvatorem hominum, Retribuatorem meritorum omnium.

3084 Secundo, qualis est qui patitur, et ei coniungere per compassionis affectum, ut compatiaris innocentissimo, mitissimo, nobilissimo et amantissimo.

3085 Tertio, quantum est qui patitur, et ad ipsum egredere per admirationis aspectum et attende, quod immensus est potestate, speciositate, felicitate, aeternitate. Admirare igitur immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, aeternitatem mori.

3086 Quarto, qua de causa patitur, et te ipsum obviscere per devotionis excessum, quia, scilicet, patitur pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, glorificatione.

3087 Quinto, quali forma patitur, et Christum inducere per assimilationis studium. Passus enim libentissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu Dei, prudentissime respectu adversarii. Stude igitur ad habendum benignitatis ad proximum, severitatis ad te ipsum, humilitatis ad Deum, perspicacitatis contra diabolum, secundum effigiem imitationis Christi.

3088 Sexto attende, quanta sunt quae patitur, et crucem amplectere per passionis desiderium, ut, sicut passus est vincula ut impotens omnipotentia, covitia ut vilis bonitas, ludibria ut stultus sapientia, supplicia ut iniquus iustitia; sic et tu desideres passionem crucis, hoc est passionem plenam interioris in rebus, exterioris in verbis, ludibris in signis, supplicis in tormentis.

3089 Septimo considera, quid ad hoc consequitur, quod patitur, et veritatis radium intueri per contemplationis oculum: quoniam ex hoc, quod Agnus passus est, septem signacula libri aperti sunt, Apocalypsis quinto. Liber iste est universalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quae quidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata, scilicet, Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, paradisi desiderabilis, inferni horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

3090 Primo igitur Deus admirabilis per crucem manifestatus est esse summae et imperscrutabilis sapientiae, summae et irreprehensibilis iustitiae, summae et inenarrabilis misericordiae. Summa enim sua sapientia decepti diabolum, summa iustitia quaesivit redemptionis pretium, summa misericordia pro nobis tradidit Filium; quae si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant.

3091 Secundo, spiritus intelligibilis manifestatus est per crucem secundum differentiationem triplicem, scilicet, quanta sit benignitatis quantum ad Angelos, quanta sit dignitatis quantum ad homines, quanta sit crudelitatis quantum ad daemones. Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum; Dei Filius crucifixus est propter genus humanum, et hoc ad suggestionem daemoneum.

3092 Tertio, mundus sensibilis manifestatus est per crucem, quoniam est locus, in quo regnat caecitas, quia lucem veram et summam non agnovit; regnat sterilitas, quia Iesum Christum tanquam infructuosum despexit; regnat iniquitas, quia Deum et Dominum suum et amicum et innocentem damnavit et interfect.

3093 Quarto, paradisi desiderabilis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriae, spectaculum omnis laetitiae, praeputiarium omnis opulentiae, cum Deus propter illam habitationem nobis restitutum factus fuerit homo vilis, miser et pauper; in quo celsitudo admisit abiectionem, iustitia subit reatum, opulentia suscepit egestatem. Nam altissimus Imperator accepit servitutem abiectionem, ut sublimaremur in gloriam; iustissimus Iudex subit reatum poenitentissimum, ut iustificaremur a culpa; opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

3094 Quinto, manifestatus est per crucem, quod infernus est horribilis locus, plenus egestate, vilitate, ignominia, calamitate et miseria. Si enim necesse fuit, haec Christum pati propter peccati deletionem et satisfactionem, multo fortius oportebit, haec pati damnatos propter iustam meritorum suorum retributionem et recompensationem.

3095 Sexto, manifestata est per crucem virtus laudabilis, quantum, scilicet, sit pretiosa, speciosa, fructuosa: pretiosa, quia ante dedit vitam Christum, quam virtuti contraheret; speciosa, quia in ipsis continentis relucebat; fructuosa, quia unus usus profectus virtutis infernum spoliavit, coelum aperuit, terram restauravit.

3096 Septimo, manifestatus est per crucem reatus culpabilis, quantum detestabilis sit, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento, in tantum, ut Deum et hominem nobilissimum in unitate personae oportuerit satisfacere pro arrogantia, qua nulla fuit elatior, per abiectionem vilitatem; pro cupiditate, qua nulla fuit avidior, per exquisitissimam paupertatem; pro lascivia, qua nulla fuit dissolutior, per amarissimam acerbitatem.

3097 Ecce igitur, quomodo omnia in cruce manifestantur. Omnia enim ad haec septem reducuntur. Unde ipsa crux est clavis, porta, via et splendor veritatis, quam qui tollit et sequitur iuxta modum praecessignatum non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitae.

MORTIFICATIO AD CONTEMPLANDAM PASSIONEM ET CHARITATEM CHRISTI.

(Ex opus. "Vitis mystica").

3098 Confortare nunc igitur, anima mea, et elevare, misera et infirma, et alis fidei et spei ad hunc hortum charitatis enitere et totum mentis intuitum per varia dispersum in unum recollige et apiculae sedulitatem interitis ad conficiendum tibi mel devotionis; ad paradisi charitatis ascende, ascende, inquam, ad cor altum, quia ecce, quem quacris exaltatus est.

3099 Sed ne timeas, exaltatus humiliatus est. Non enim elevatus est in cruce, ut se difficilem praebere accedere ad ipsum volentibus, sed magis, ut posset omnibus paratior inveniri. Accedens ergo cum fiducia ad hunc paradisum, in extensione brachiorum cognosce sustententis affectum, se ad te et te ad se invitantis amplexus, et quodam modo miscrabiler et miserabiliter clamantis: Revertere, revertere, Summis, revertere, revertere, ut intueamur te. Revertere a mala voluntate, a malis factis, ab obstinatione et desperatione; revertere ad me, quoniam aversa fuisti a me, ut intuitu gratiae, quo mulierem peccatricem respeximus et latronem, intueamur te.

3100 Lege ergo me, librum vitae scriptum iustus et foris, et lectum intellige; collige tibi flores meos, ut paradisi illum possis introire, ante cuius fores Cherubim est collocatus prope gladio flammeo. Valet enim scientia, quam in me plenarie discere potes, et amovendum impedimentum Cherubim; flores vero sanguine gladii versatilis flammam extinguunt. Intra ergo, o anima, hunc paradisum omnibus paradisi meliorem nunc solo quo potes meditationis affectu, ut postmodum anima et corpore excolerem illum paradisum valeas introire.

3101 Nec breviter amplexandum est tibi paradisum, sed volandum per singulos illos flores, et singulorum florum folia sunt sugenda; nunc ad dexteram, nunc ad sinistram rivos sanguinis spargentes propius est nobis et interius accedendum. Ubique quaerenda est devotio et gratia lacrymosae compunctionis; utrinque considerandum, quam immites fixurae elavorum, quam amara venarum ossiumque contractio in manibus illius qui fabricatus est coelum et terram, quomodo operatus est salutem in medio terrae, et inter horum considerationem repetendum frequenter: Redde mihi lachrymam salutaris tui, per imitationem apiculae, quae inter volandum semper quendam sonum vocis habet nec conticescit, donec intra florem intraverit, ubi melis dulcedinem exoptati colligit et exsugit.

3102 O quam felix eris, si, postquam intra florentis dulcissimi paradisi nostri flores sanguineos, vulnera, scilicet, Christi, fueris introrsimus, ab huius mundi strepitu et tentationum incurisibus omnino valeas liberari et soli ei, ad quem introisti, vacans gustare possis et intelligere, quam bonus et dulcis est Iesus!

3103 Sic lustrandi sunt et pedes non minus sanguinis habentes, non minus doloris quam manus, per-fossi ipsi et perforati, sanguine fluminibus guttisque manantibus et respersi.

3104 Tandem accedendum est ad cor illud humilimum altissimi Iesu, per ianuam videlicet lateris lanceati; ibi procul dubio thesaurus ineffabilis de-



siderabilis charitatis latet; ibidem devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo et patientia in adversis, compassio in afflictis, praecipue *cor contritum et humilitatum* invenitur.

3105 Talis ac tantus complexus tuos desiderat, talis te, ut complectatur, exspectat; caput floridum, multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, quasi dicat: Ecce, quomodo configuratus sum, quomodo confossus, quomodo maectatus, ut te possim ponere super humeros meos, quae aberaveras, ovis mea, et ad pascuae coelestis reducere paradisum.

3106 Redde vicem et super vulnera mea misericordia commovere et *pone me* talcm, qualem nunc vides, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operibus brachiorum tuorum mihi taliter, ut vides, signato possis similis inveniri.

3107 Conformaveram te imagini Deitatis meae, cum te crearem, conformatus sum imagini humanitatis tuae, ut te reformarem. Tu ergo, qui non retinisti formam Deitatis meae tibi impressam in tua formatione, retine saltem formam humanitatis tuae

mibi impressam in tua recreatione; si non retines, qualem te creaveram, retine saltem, qualem te recreaveram; si non capis, quantas *virtutes* tibi dederim te creando, cape saltem, quantas in humanitate tua *miserias* propter te acceperim te creando, et ad potiores, quam ad quas te formaveram, delicias reformando.

Nam propterea homo visibilis factus sum, ut a te visus amarer, qui in Deitate mea invisus et invisibilis quodam modo non amabar. Da ergo praemium incarnationi meae et passioni te, pro quo incarnatus simul sum et passus. Dedi me tibi, da te mihi.

O dulcissime bone Iesu! *Pater hominum*, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum*, misericorditer respice humiliter tibi confidentes et vere scientes, quia sine te nihil possumus facere; et qui dedisti te pro nobis in pretium, da, ut licet tanto pretio minus digni simus, nos tuae gratiae tam integre et perfecte in toto redamur, ut conformati imagini passionis tuae, ad eam quoque, quam peccando amisimus, Divinitatis tuae imaginem reformemur, praestante Domino nostro.

Amen.





## EIVSDEM AUCTORIS

|   |         |
|---|---------|
| Expositio in Orationem Dominicam iuxta traditionem Patristicam et Theologicam, cum Appendice CXXX Exposit. totalium et XLI partialium. — Duo volumina binis columnis in-4, pag. 306 et 842, seu simul pag. 1148 . . . . .   | L. 20 — |
| Compendium Theologiae Moralis Beatae Mariae Virgini dicatum. — Editio septima aucta et emendata. — Vol. in-8. . . . .   | » 5 —   |
| Compendium Juris Canonici. B. M. V. dicatum. — Editio tertia aucta et emendata. — Vol. in-8 . . . . .   | » 3 —   |
| Dictionarium Marianum, sive encomia, symbolicae expositiones, figurae, theologiae et asceticae lectiones de augustissima dignitate et superdulcissima pietate B. Virginis Mariae, ex operibus sanctorum Patrum ecclesiasticorumque scriptorum. — Vol. in-12, pag. 400. . . . .  | » 3 —   |
| <i>Doctorum Angelici, Seraphici, Melliflui, Extatici, In Orationem Dominicam et Salutationem Anglicam</i> , adiectis titulis, adnotationibus et appendice. — Vol. in-32 . . . . .   | » 3 —   |
| Manuale devotorum B. Mariae Virginis. (Continet Sanctorum ac Doctorum praecipuas sententias piisque considerationes de tribulationibus et doloribus B. V. Mariae per singulos anni dies distributas; <i>Vade-mecum</i> Devoti Mariophili; <i>Officium</i> brevissimum de Imm. Conceptione B. M. V.; <i>Piissimam</i> erga SS. Dei Genitricem devotionem; <i>Psalterium Marianum</i> ). — Vol. in-32 . . . . . | » 1 —   |
| <i>S. Bernardini Senensis, De Dominica Passione, Resurrectione et SS. Nomine Iesu</i> , contemplationes excerptae ex operibus eiusdem Sancti per singulos anni dies distributae, titulis distinctae notisque illustratae. — Vol. in-32, pag. 678 . . . . .  | » 4 —   |
| Manuale devotorum S. P. N. Francisci. — Vol. in-32 . . . . .  | » 0 50  |
| Christus Iesus Redemptor Noster. Breves considerationes et orationes de Doctrina et Vita D. N. Iesu Christi per singulos anni dies distributae aliaque devotionis exercitia ex variis collecta. — Vol. in-32. . . . .   | » 2 —   |
| Lectiones SS. Patrum contra murmuratores, seu contra amaritudinem cordis, oris et iudicii, ad usum praesertim utriusque Cleri, adiectis precibus et adnotationibus. — Vol. in-32 . . . . .  | » 2 50  |

Praesens opus atque superenunciata opera, venalia prostant apud  
 Librarias Pontificales **FRIDERICI PUSTET. Romae, Ratisbonae, Neo-Ebo-**  
**raci et Cincinnati.**



